

M A R I I A R .

C A D I S N A R -  
N I E N S I S ,

A D

*legem primam, C. de edendo.*

*Interpretatio noua:*



Qua uerus arcȝ legitimus sensus Doctorū  
ad hæc usq; tempora, cùm uaria, tum multi-  
plici disputatione confusus, in lucem, uelut ē  
tenebris, perspicue reuocatur.

V I R T U T E D V C E ,



C O M I T E F O R T V N A .

L V G D V N I A P V D S E B .  
G R Y P H I V M ,  
1543.

# CLARISSIMO AC

REVERENDO PATRI

D. Federico Cæsio Tudertino

Antistiti Marius Arcas

felicitatem.



I Q V I S unquam ingenio, doctrina,  
gratia, dignitate, inter homines emucue-  
rit, is haud dubie nunc mihi uideri soles,  
Præsul præstantiss. qui rerum singulari  
prudentia præditus, pietate, mansuetudi-  
ne, uitæ morumq; integritate, eam ubique gloriam ac lau-  
dem fueris adeptus, ut cæteris anteire, rerumq; splendore  
præstare merito uidcaris. Atque ut reliquias uirtutes tuas,  
a patre acceptas, auctas a fratre, iure quodam hæreditati-  
rio possideas, eam tamen qua de alijs benemerendi occa-  
sione, certissimum immortalitatis gradum comparasti, sic  
tibi peculiariter uendicas, iure que asciscis, ut uel hac una  
cunctorum in te studia, uoluntates, facile prouocaueris. Et  
ut interim omittam ea, quæ sæpius collabenti iam patriæ,  
plane que ruitur & salutariter præstitisti: sic tamen in dies  
uniuersis omnibus, ciuibus, familiaribus, propinquis, bene-  
ficiis ac liberalis existis, ut te unum omnes prædicent, lau-  
dent, efferant: qui indigentibus opem feras, affictos sole-  
ris, iacentes erigas, labantes firmes. Quibus ego aliquan-  
do excitus, horumq; commonefactus, & si summo studio,  
admiratione, laude, fuerim prosequutus: præclare tamen  
mecum agi posse existimabam, si que tu solus interire, pe-  
nitusq; obscurari sineres, publice ipse quandoque testari  
possem. Quam ob rem cum superioribus diebus, Roma  
uelut furijs agitatus, fatali que rerum mearum necessitate

A 2 penè

M A R I I A R -  
 CADIS NARNIEN-  
 S I S I N I N T E R P R E-  
 tationem legis prime C. de  
 edendo, ad Lecto-  
 rem  
 P R A E F A T I O .



I R A R I mecum saepe solco , le-  
 ctor optime , cum in cæteris disci-  
 plinis , tum in hac legum sancta ci-  
 uiliq; scientia : quod cum uno di-  
 scendi fine , eademq; perpetuo fue-  
 rit comprehensa , sic tamen animo-  
 rum uarietate , suo quenque studio  
 rapi , ut in re propemodum simili , diuersa tamen omnes se-  
 etari proculdubio uideantur . Quosdam ita crebris opinio-  
 num fluctibus agitari intelligas , ut ijs plane obrui , iucun-  
 dum , suauemq; sit : Alios sic illis infestos inuenias , ut unius  
 aut alterius iudicio contesti , uiam plerumq; ueritatis igno-  
 rent : Permulti adeo felici quadam ubertate luxuriant , ut  
 plura recidere , quam quicquam addere posse uidearis :  
 Contra sic plerosque steriles uidcas , ut nullo quouis cultu  
 fructuosiores eos reddideris : Nonnulli ita leniter fluunt ,  
 ut uix riuiulos facere , amoeniora q; tantum aspergere cre-  
 das : Alij tanta ubiq; rapiditate feruntur , ut palmitem sti-  
 pitemq; omnem secum facile trahant : Perplures sic saepe  
 subtilitatibus iuris indulgent , ut nimio cognitionis acumi-  
 nc , seipso miserè frangant : Alios ea stoliditate præditos  
 cernas , ut uelut in perforatum dolium ne quicquam infun-  
 das :